

## CONCIO V. AUCTARII.

revera sint et quid mali progignant sapienter considerat, non modo non ambit, sed exosas etiam habebit. Vidit Anna Tobiae conjux se, amore recuperandae pecuniae, cujus gratia filium Tobiam amandarant in Mediam, in tristitiam incidisse, in curam et sollicitudinem, ne forte illius causa perderent filium unicum et dilectissimum; ideoque pecuniam execrata, ad virum dixit: *Nunquam fuisset pecunia ipsa, pro qua misisti eum*, Tob. V. Eadem aversatus S. Gregorius Nazianzenus, orat. XVI. appellat *perditionis instrumentum*; et: *Utinam, inquit, pereant divitiae, nisi pauperibus subveniant. Quid enim opus est multa reponere latronibus et furibus, et mutationibus temporum, quae ea in alios transferunt?* Nec defuere ex gentilibus qui, hoc intelligentes, aurum abo-

minati sunt; inter quos notissimus ille, Crates philosophus aurum suum in undas projiciens: *Abite, inquit, pessimae divitiae: ego vos mergam, ne a vobis mergar*. Albani una cum defunctis, eorum divitias sepeliebant, ideoque fere cuncti in paupertate vixerunt, Strabo, l. XI. « Babytae oppidum Persidis est, inquit Salinus, cap. LVI. in eo mortales universi, odio auri, coemunt genus hoc metalli, et in terrarum profunda abjiciunt, ne polluti usu ejus, avaritia corrumpant aequitatem. » Idem testatur Plinius, lib. VI. cap. XXVII. Nos vero Christiani ita aversamur opes, ut, non quidem in maria aut terrarum profunda, sed in sinus pauperum eas abjiciamus. Ita ex mammona iniquitatis fient instrumentum pietatis et pretium salutis.

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUC. XIX.

In illo tempore, cum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. Et ingressus in templum, coepit ejicere vendentes in illo et ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.

## CONCIONES.

- I. De morte hominis in peccato existentis.
- II. Quae potissimum deploranda videantur in aliqua communitate.
- III. Quid doceant nos Christi lacrymae.
- IV. Deplendam fuisse Jerosolimam, et esse peccatorem: causae plures.
- V. Divina vindicta in excidio Jerosolymitano ostenditur.
- VI. Quamobrem crepta nobis sit terra sancta.
- VII. Variarum injuriarum ecclesiis illatarum, ut puniunt sint.
- VIII. Documenta.
- IX. Mystera.

## CONCIONES AUCTARII.

- I. Mira mercatorum ejectio ex templo.
- II. Sua quisque vitia ut ejiciat e templo animae suae incitamenta.
- III. Cur Dominus sua manu castigavit mundinatores templi.
- IV. Varii effectus, quos in peccatore producit mala conscientia.
- V. Deploranda Judaeorum caecitas, necnon multorum Christianorum.

## CONCIO I.

## DE MORTE HOMINIS IN PECCATO EXISTENTIS.

- I. Circumdabunt enim inimici: 1. Terrendo spectris. 2. Oppugnando tentationibus. 3. Objiciendo peccata commissa. — II. Coangustabunt undique. — III. Ad terram prosternent: 1. Quia cum violentia tolletur. 2. Quia spiritualium oblitus. 3. Quia in desperationem impellitur. — IV. Nec relinquent lapidem super lapidem: 1. Quia spoliabitur bonis. 2. Privabitur fructu operum extra gratiam factorum. 3. In nihilum concident ejus vota.

## THEMA.

Venient dies in te. Luc. XIX.

Multis, auditores, hodiernum evangelium non magis pertimescendum videtur, quam tormentum jam explosum, vel hostis qui scopuletum

quidem gerit, verum pulvere et globo caret. Putant enim Christi praedictionem et comminationem jam in Judaeis completam, ad alios non pertinere. Unde dicere videntur: Non venient hi dies in nos. Sed me, ut verum fatear, si quod terret evangelium, terret hodiernum. Video enim manifeste, quae in hoc evangelio praedicuntur Judaeis impenitentibus, praedici etiam peccatoribus in peccato morientibus, adeoque hoc evangelium esse duplicem prophetiam, unam quae Judaeos, alteram quae peccatores omnes tangat. Ut enim destructio Jerosolymae typus est perditionis peccatorum: ita existimandum est, ea quae ad litteram evenerunt Jerosolymae, spiritualiter eventura homini in peccato morienti. Quod ut clarius videamus, perstringemus singula.

- I. Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumda-

bunt te. Contigit hoc Jerosolymitanis, quia ab exercitu Romanorum circumdati, et inclusi muro ac vallo fuerunt. Facient et hoc dæmones morienti peccatori. Primo, terrendo spectris immanibus et horribilibus, quemadmodum sæpe legimus apparuisse morientibus forma draconum, leonum, serpentum, Æthiopum, canum atrorum, etc. qui eos expectare, circumplecti, vel devorare jam videbantur, ita ut morituri jam de salute sua actum esse clamarent. Exempla complura videre est in dialogis S. Gregorii. Inter alia, l. IV. dial. c. XXXVIII. de monacho Ieonæ, ex monasterio Tongalathon, scribit, eum simulata sanctitate magnam sibi apud omnes existimationem comparasse. Sed cum ægrotans ad diem vitæ supremum accessisset, fratres expavescens convocavit et hypocrisin, quam diu zelaverat, prodidit. « Et nunc, inquit, videte quo me perduxit diu mentita sanctitas. Jejunii me itentidem affligi fingebam, sed occulte comedens nunquam jejunabam, nunc inimico traditus sum. Ecce me terribilis serpens tortuosi corporis voluminibus implicatum tenet, ecce in os meum, quod clandestinis dapibus replebatur, caput indidit suum, et lethifero morsu sanguinem succans adimit spiritum. » Sub quæ verba miser defecit. Idem, c. XXXVII. scribit adolescentem, monachum malæ vitæ, simili modo a dracone involutum et jam devorari ceptum. Nimirum quia peccatores in vita bestialiter vivebant, adeoque vitia bestiarum induebant, idcirco merito atrocium et horribilium bestiarum formis terrentur a dæmonibus, ut ita videant oculis suis, quales fuerint et quid coluerint.

Secundo, oppugnando tentationibus et curarum sæcularium exagitando flagellis, ut ne otium habeat cogitandi de salute sua. Quemadmodum enim Hebræi a Pharaone laboribus et flagellis tunc maxime atterebantur, quando ab ipso discedere et sacrificare Deo volebant; et quemadmodum cursores equi cum jam ad metam tendunt, tunc maxime flagellis et clamoribus incitantur ad cursum: ita peccatores cum ad vitæ metam properant, tunc omnium acerrime exagitantur a diabolo, qui tunc descendere ad eos solet: *Habens iram magnam sciens quod modicum tempus habet*, ut scribit Sanctus Joannes, Apoc. XII. Et hoc est quod illa repetitione exaggerat Christus: *Circumdabunt te inimici tui, et circumdabunt te*.

Tertio, obijciendo peccata commissa, eaque exaggerando ex multitudine, fœditate, ingratitude, frequentatione, etc. Peccata enim dæmon, quæ initio cum suadet, alleviat, ad extremum cum moriendum est, aggravat, ut in despera-

tionem inducat. Quia enim hominis calcaneo, id est, vitæ fini maxime insidiatur serpens, idcirco proponit illi undique peccata commissa, ut eorum aspectu consternatus homo effugere desperet. Hoc est quod vir Sanctus David timuit, cum ait Psal. XLVIII. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei circumdabit me*, q. d. si in mortis articulo invenero circa me peccata mea, circumdabunt illa me instar aggeris aut muri, ut nullo modo evadere possim. Hunc aggerem comportabit dæmon ex multitudine peccatorum, quæ quis fecit. Unde de eo figurate, ad litteram de Nabuchodonosore, dicitur Habac. I. *Super omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem et capiet eam*, (Tyrum.) Denique, quot vitia quis commisit, tot vallis dæmones miserum circumdabunt, et quasi de jam victo et capto triumphabunt, fietque quod Thren. II. dicitur: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui; sibilaverunt et fremuerunt dentibus suis et dixerunt: Devorabimus. En ista est dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus*. Hoc peccatorum aggere circumdedit Henricum VIII. Angliæ regem pessimum tyrannum, qui post patratas plurimas sanctorum cædes aliaque scelera, in agone singulis horis revocabat sibi in memoriam quantis malis populum suum affecisset, et cum statuisset reverti ad Ecclesiam a qua perfide desciverat, consuluit episcopos de modo se reconciliandi: sed illi quibus nota erat Henrici tyrannus, consilium dare non sunt ausi, ne forte pœnas simulanti darent. Unus ex iis improba voce firmavit in perfidia dicens: *Regem omnibus viris sapientiore esse, et divino consilio Ecclesiæ Romanæ primatum abdicasse*. Fertur quidem Vintoniensis episcopus salutare consilium ei dedisse, ut cum regni ordinibus rem hanc communicaret: sed parum effecit monitio ob parasitorum supervenientium voces, quibus retinebatur in perfidia rex. Atque ita miser ille sibi ipsi januam cœli præclusit, refert Florim. Rem. l. VI. de orig. hæres. c. V.

II. *Coangustabunt te undique*. Contigit hoc Jerosolymæ, quia foris a Romanis, intus a fame, peste, rapinis, seditionibus angustiata fuit, ut nullum esset effugium. Continget et morienti reprobo. Porro angustias morientis peccatoris optime descripsit Job, c. XXI. cum ait: *Lucerna impiorum extinguetur, et superveniet eis inundatio*. Quemadmodum enim ante diluvium aquæ omnes colligatæ tenebantur in nubibus, in abyssonis maris, in fontibus, ne homines opprimerent, qui idcirco libere discurrerunt per omnes peccatorum vias, repente tamen exortum est diluvium, et omni ex parte profluxerunt aquæ copiosissi-

mæ e cœlo, terra, mari, fontibus et nubibus et undique oppresserunt homines; ita dum peccator vivit, libere discurret, prosperatur et lætatur in bonis suis: *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi, promptuaria eorum plena, etc.* at vero cum ad portas mortis appropinquat, tunc super eum irruunt undequaque copiosissimæ dolorum et anxietatum aquæ. Quocumque aspiciat, exitum non videt, defensorem non reperit. Si sursum aspiciat, videt Deum sibi iratum et millies offensum: si deorsum oculos demittat, videt infernum dilatantem animam suam absque ullo termino: si intra se aspiciat, videt vermem conscientie, accusantem et rodentem: si extra se mittat oculos, videt a sinistris amicos et propinquos tristes jamjam deserendos, quandoque sibi molestos et importunos ob honorum distributionem: multoties etiam sibi in via salutis obstantes: a sinistris bona plurima mox relinquenda: circa se undique dæmones quam plurimos sibi insidiantes et exitum animæ præstolantes, sicut feles excubant ad murium antra, ut corripiant prodeuntes: ante se videt mortem nimium repente et inopinato accelerantem. Ibi coniecit oculos ad sepulcrum, quod ingredi cogitur: retro se judicium severum et incertum, in quo Deo veluti hospiti solvet omnia debita, quæ contraxit in hoc mundi hospitio, helluando, ludendo, luxuriando. Quod si Balthasar videns scribi de se in pariete judicium divinum, licet nondum intellectum, adeo tremefactus est, ut facies ejus immutaretur, genua colliderentur, etc. quid sentiet is, qui advertit jamjam sibi scribendam ultimam sententiam, jamjam se appendendum esse in stateram, imo jam in una lance posita esse contra se tot pondera peccatorum? Atque hoc est triste et tenebrosum illud tempus, de quo cœlestis concionator, Eccles. cap. XI. loquitur: *Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*, q. d. dato sed non concesso, quod homo multis annis vixerit et in his omnibus lætatus fuerit, quod tamen fieri nequit. Nemo enim certus est, se multis annis victurum: deinde nec in illis semper vivere lætus potest, qui nullam de crastino habet securitatem. Quomodo enim damnatus ad suspendium, dum scalam furcæ ascendit nesciens ex quo gradu sit dejiciendus, lætari in aliquo possit? Annon potius in omnibus semper timet anxius? Ita res nobiscum habet. Sed demus hominem de longa vita securum et in ea semper lætum esse, debet tamen meminisse *tenebrosi temporis et dierum multorum*, id est, mortis (cujus

tempus licet exiguum sit, longissimum tamen videtur propter ejus angustias, ut etiam in hodierno evangelio audimus) et quæ consequitur, æternitatis. Tenebrosum porro erit tempus illud, tum quia tristitia plenum, sive sensus et dolores corporis, sive amicos et propinquos, sive adhortantes sacerdotes, sive alia supradicta consideres; tum quia dubii exitus. Videt enim constitutum et pulsantem se ad portas sive æternæ gloriæ, sive æterni ignis. Quæ tenebræ? Quæ angustia? De quodam consiliario impiæ illius Elisabethæ Angliæ reginæ scribit Cornel. a Lap. in Ezech. c. XXXII. quod moriens viderit suam in gehenna sedem profundam, igneam, aliasque similes juxta eam suis collegis paratas, uti a viris omni fide dignis accepit.

III. *Ad terram prosternent te, et filios tuos*. Contigit hoc Jerosolymæ, quia in ea prostrata non solum ædificia, sed et cives plerique vel peste absumpti, vel occisi, vel in captivitatem ducti. Contingit idem spiritualiter peccatori morienti. Primo, quia cum magna violentia et impetu invitatus et coactus exscinditur e vita et prosternitur in sepulcrum; tum quia fortiter mundo affixus fuit, quo modo etiam arbor proceræ quæ fortes et altas in terra fixit radices, non nisi magna cum violentia et resistentia frangitur a turbine. Unde Ecclesiasticus, cap. XLI. ait: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Tum quia de sua morte nihil antea cogitavit: unde tunc præ oculis eam videns obstupescit, consternatur et concidit, sicut, v. g. porei quando prosternuntur ut jugulentur, dire vociferantur et gemunt, quia mortem, non nisi cum adest, sentiunt. Sic turbatus fuit pinguissimus ille Agag rex, cum a Samuele præter spem occidi jussus, tremens dixit: *Siccine separas, amara mors?* I. Reg. XV. Atque ita prosternitur in terram una cum filiis, id est, cogitationibus suis, ut exponit S. Gregor. hom. XXXIX. in evangelio, dum qui vitam tantum cogitavit, repente in sepulcrum dejecit. Sed quo impetu putamus prosternendum esse in infernum? Nimirum uti Satan, ipse fulguris instar de cœlo cecidit, ita ejus sectatores cadunt in infernum.

Secundo, quia fere ad terrenas tantum cogitationes convertitur, ad morbi vehementiam, conjugem, liberos, testamentum, mendicos et medicinam, convalescentiam, etc. spiritualium rerum obliviscitur. *Tali enim animadversione*, ait S. Aug. serm. III. de Innocen. *percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui cum viveret oblitus est Dei*. Sæpe etiam usu venit, ut eas tantum tractet peccatorum illecebras, quibus dum sanus esset,

implicatus et delectatus erat. Refert Robertus a Licio, in suo quadragesimali, puellam Spoletanam vestium ornatu delectari solitam, paulo ante mortem voluisse indui pretiosissimis suis vestibus, quasi ad nuptias ituram; deinde sic ornatam diabolum vocasse: *Veni, o diabole, suscipe animam meam*, atque his dictis mortuam esse. Franc. Cost. dom. sexag. scribit, quemdam divitem anno 1533. moribundum, cum pœnitentiæ admoneretur, vultum avertisse et de pecuniis tantum audire voluisse, ideoque præcepisse ut scutella aureis plena sibi afferretur. Quam dum sic affatur: *Tu pecunia mea, in te auxilium meum, dicant quod volunt sacerdotes*, caput ejus impactum est scutella et miser expiravit. Ibid. scribit ex Cæsario, Guilielmum comitem Juliensem, postquam in adulterio vixisset, in gremio concubinæ sine sacramentis expirasse. Jansenius, apud Mart. Delrium, II. p. adagior. adag. CDXLIV. narrat quemdam, ejus studium in vita fuerat, ventrem saginare cupediis, morbo correptum tali ut nec quidquam alimenti admitteret, nec fauces possent transmitti: quare sic affectum jussisse delicatissimum cibum vinumque sibi afferri, quæ in mensa aut in lecto cum maximis desideriiis suspiriisque molestissimis intuebatur, atque ita contabescens mortuus est. « Novi quemdam, subdit Delrius, virum nobilem et dignitate conspicuum, lusorem tota vita, ad extremum usque spiritum jussisse chartas lusorias adferri, ut cum ipse jam nequiret, alios ludentes adspiceret. » Hoccine non est prosterni ad terram?

Tertio, quia a malignis spiritibus vel etiam propriis sceleribus ad desperationem impellitur, cum filiis, id est, cogitationibus suis animam exagitantibus et gravantibus, uti multa exempla docent, apud Bedam, Thom. Cantipr. S. Gregor et alios. Desperatio securis est, quæ arborem omnino exscindit et uno ictu prosternit, conterit et comminuit; uti fecit Juliano apostata, quando is sanguinem e vulnere susceptum in cœlum ejaculatus clamavit: *Vicisti Galilæe, vicisti*, et impio Calvino, quando moriens pediculari morbo, demones invocavit, Deum execrans et blasphemans, Hier. Bolsec. in ejus vita.

IV. *Nec relinquet in te lapidem super lapidem.* Contigit hoc Jerosolymæ, quia a Tito vastata, et ab Hadriano post penitus excisa et loco mota fuit. Fit hoc ipsum in morte reprobi. Primo, dum bonis corporis et fortunæ, quæ tantopere amabat, et quibuscum bene illi erat exuitur et spoliatur, ut præter linteum unum, nihil ei relinquatur. Narrat S. Marcus, c. XIII. egresso aliquando Jesu e templo, discipulum unum templum illud magnificum, quod Christus prædixerat

destruendum, ei ostendisse, ac dixisse: *Magister, aspice quales lapides et quales structuræ!* S. Lucas, cap. XXI. addit revocasse etiam ei in memoriam dona templi, quasi non deberet tam præclara dissolvi machina. Sed quid ad hæc Christus? *Vides inquit, has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat.* Contigit hoc templo non hyperbolice, sed vere primo, sub Hadriano, deinde, quando sub Juliano Judæi templum reparare volentes effoderunt veteris templi fundamentum, tuncque ignis inde prosiliens ejecit lapides et multos occidit, ut scribit S. Chrysostomus, orat. II. et III. contra Judæos, Gregorius Nazianzen, orat. II. contra Julian. et alii. Jam hoc idem quotidie accidit morientibus peccatoribus. Vide principem, comitem, nobilem, divitiis, potentia, vestitu, famulatu, majestate, gloria, decore splendidum. Quales lapides, quales structuræ? Amen dico tibi, non relinquetur lapis super lapidem: omnia subvertentur, opes, famuli, vestes, pompa, gloria, forma, ipsa corporis ossa ita destruentur, ut non relinquatur os super os. Vide ornatam mulierem, vides ejus capillos, genas, os, oculos, vestes, gemmas, calamistra, etc. Vides hæc omnia? Non manebit lapis super lapidem. Omnia mors convellet, dissolvit, dissipabit. Denique, quo impensius peccator hæc dilexit, eo acerbius sentiet jacturam eorumdem: et quæ charissima illi fuerunt, post maxima crux erunt. Corpus quod delicate nutrit et vestivit, tunc relinquentum terræ erit: sensus delectabiles claudendi et ad somnum perpetuum componendi: chara uxor et liberi aliis commendandi: dominus et fundi abdicandi in perpetuum. O quanta amaritudo rerum olim tam dulcium!

Secundo, dum privatur fructu operum suorum, seu honorum, seu malorum, (siquidem nec bona opera, facta extra gratiam, possunt ob salutem) laboris et industriæ. Unde S. Greg. in hunc locum citata hom. ait: « Perversa mens, cum perversæ cogitationi adhuc perversiorem adjicit, quid aliud quam lapidem super lapidem ponit? Sed in destructa civitate super lapidem lapis non relinquitur: quia cum ad ultionem suam anima ducitur, omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipatur. » Itaque dum peccator congregat non sua, lapidem super lapidem ponit: dum usuram usuræ, ebrietatem ebrietati, voluptatem voluptati, peccatum peccato adjicit, lapidem super lapidem ponit. Rursum cum fundum fundo, palatium palatio, aurum auro, imo cum etiam opera bona moralia, eleemosynam eleemosynæ, orationi orationem, justitiæ justitiam addit, lapidem ponit super lapidem,

## CONCIO III.

QUÆ POTISSIMUM DEPLORANDA VIDEANTUR  
IN ALIQUA COMMUNITATE.

I. Quod intra octoginta annos nemo nostrum superstes futurus. — II. Quod Deus tam parum colatur. — III. Quod Deus semper offendatur. — IV. Quod a majorum pietate longe recesserimus. — V. Quod tam multi undique pauperes. — VI. Quod nesciamus quid unicuique nostrum eventurum. — VII. Quod aliqui e nobis damnandi.

## THEMA.

*Videns civitatem flevit super illam.* Luc. XIX.

Inter anni tempora lætissimum videtur esse tempus messis; ut vel ex Isa. IX. colligi potest, ubi jucunditas et lætitia messis comparatur futuræ sanctorum lætitiæ in cœlo: *Lætabuntur eorum te, sicut qui lætantur in messe.* Et patet experientia, servos agricolarum hoc potissimum tempore egredi ad metendum, cum jubilo et cantu, cum tibiis et saltu. Ipsi porro agricolæ quo modo non lætos dies agant, cum hoc tempore horrea sua implent? Quid igitur est, auditores, quod Ecclesia lætitiæ hanc perturbat hodierno evangelio, in quo Dominus inducitur flens supra Jerosolymam? Nimirum hæc lacrymarum Christi aqua temperare nobis voluit vinum sæcularis lætitiæ: ne in eam nos nimirum effundamus, sed inter hæc hilaria memores simus tristium: quemadmodum et Christus proprium triumphum honoresque sibi oblatos fletu interrupit in hodierno evangelio, monens interim nos, nullam esse tam beatam civitatem, quæ non habeat aliqua multis lacrymis deploranda. Et sane si illuminatiores haberemus oculos, non dubito, quin etiam super nostram civitatem cum Christo plorarem, quo modo ipse flevit super Jerosolymam. Id vero nunc expendemus.

I. Deplorandum quod post septuaginta aut octoginta annos nemo nostrum, qui hic sumus, amplius in vivis sit futurus, sed simul omnes in cœmeterio altum dormituri simus, et vix memoriam nostri apud posteros habituri. « Xerxes ille rex potentissimus (inquit S. Hier. in epist. ad Heliod. de epitaph. Nepotiani) qui subvertit montes, maria constravit: cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, et innumerabilem vidisset exercitum, flesse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. » Subditque: « O si possemus in talem ascendere speculum de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus? Jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, et regnis regna collisa: alios ad

et magnam structuram excitat. Sed in mortis articulo non relinquetur lapis super lapidem, quia hæc omnia machinamenta corruent, labores et sudores nihil ei proderunt. Quare sicut lapis abscissus sine manibus contrivit statuum, quam ædificavit Nabuchodonosor ex auro, argento, ære, ferro, luto, et in pulverem comminuit, Dan. II. ita mors clanculum immissa conterit, et evertit totam peccatoris structuram, quam erexit ex malis, indifferentibus, et bonis operibus.

Tertio, dum in nihilum etiam concidunt ejus vota et proposita. Velut de novis ædificiis extruendis, quale fuit illius divitis, dicentis: *Destruam horrea mea et majora faciam: et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima mea habes multa bona, etc.* Luc. XII. *Ædificavit in aere: nocte enim sequente mortuus est, et totum ejus ædificium evanuit.* Vel de pœnitentiæ agenda, de usuris restituendis, de vino abjurando, de peccatis per eleemosynas aliaque opera redimendis. Cujusmodi proposita haud dubie sæpius habuit peccator, vel saltem concipiet graviter ægotans: O si ex hac ægritudine liberarer! Quam vellem me emendare! O si vel crastinum mihi daretur! Cras vellem confiteri, restituere, etc. O quam vellet tunc pœnitentiæ potius coluisse quam voluptatem! Cum Lazaro fuisse esuriens, et mundo despicibilis, quam cum epulone splendidus, et delicatus! Sed heu! in morte peccatoris omnia hæc corrunt, et in nihilum recidunt, quia migrandum est, quod sæpe ipsi prævident, et fatentur hæc vel simili voce: *Migrandum est, uti non semel ipse audivi.*

Quando igitur intelligimus, auditores, evangelii hodierni minas, non Judæos tantum petere, sed unumquemque etiam nostrum, convertamus oculos non jam in excisam Jerosolymam, sed in proprias aedes corporum nostrorum, paulo post excidendas. Et si Christus deplorandos censuit Judæos, qui in tanto constituti periculo sibi non consulebant: non deplorandi erimus nos, qui post tot monitiones needum cernere volumus imminens exitium, idque æternum? Quare jam si sapimus, depletemus nostram vesaniam et patrata scelera, ne aliquando æternum flere et frustra quidem cogamur ibi, ubi est fletus et stridor dentium.

servitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum: illos nasci, istos mori: alios affluere deliciis, alios mendicare: et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. » Hæc Hier. Sed nos tantum non exspatiabimur; ea solum quæ ad nos spectant, considerabimus. Itaque intra octoginta annos nemo nostrum superfuturus est, et forte nec memoria nostri. Ex hujus civitatis cavea velut anseres aut gallinæ, omnes ad mortem educendi sumus. Lilia campi et aristæ agri sumus, brevi metendi omnes, quod nuper contigit pratis et agris: folia arboris sumus, brevi omnes a vento rapiemur, et in terram defluemus, quod arboribus continget ingruente hieme. Qui post dictum tempus nos quæsierit, non inveniet nisi ossa. Contra istud non juvabit medicum medicina, non nobilem nobilitas, non divitem divitiæ, non decorum forma decor, non eruditum eruditio, non robustum robur. Et nonne hoc dignum lacrymis? Quanto labore alii parient, aut pepererunt sibi scientias et prudentiam? Alii opes et prædia? Alii honores et dignitates? Alii delicias et voluptates? Ethæc omnia tamen una cum illis corrueant. Vita ipsa, præsertim humana, quam pretiosa, quam jucunda est? Mors vero quam fœda et quam horrida? Hanc certe licet non apprehendant bestię, totis tamen conatibus fugiunt, et præsentem maximo cum lamento atque horrore excipiunt. Sed ut hoc dolendum sit, illud certe multo magis, quod plerique homines suæ tam vicinæ mortis tam parum aut nunquam recordentur, adeoque de futura vita, quæ æterna erit, vel requies, vel afflictio, tam parum sint solliciti. Si enim sciret aliquis se a creditoribus, vel domino suo bonis omnibus spoliandum, et una cum uxore et liberis nudum et inopem domo ejiciendum; interim vero nihil hac de re curaret, nec sibi provideret de receptaculo aliquo: nonne is vehementer deplorandus esset? Certe ante octiduum audivimus in evangelio villicum ejusmodi sibi sedulo consuluisse, postquam intellexit auferendam sibi esse villicationem. Nemo nostrum dubitat, sibi etiam aliquando dicendum esse: *Redde rationem villicationis tuæ; jam non poteris amplius villicare*: nemo quidquam certius sibi quam mortem esse novit, et post hanc judicium. Et tamen quam pauci imitantur servum illum? Quam multi etiam, cum jam opes una cum vita relinquendæ sunt, sibi amicos in cælo nullos faciunt, licet facile possent? Si quis fossam paulo latiore aut profundiore transilire debet, prius accedens eam considerat, et quo pedem figere velit, attendit, ramos item, vel lapides, aut terræ glebas injicit, saltum præterea sibi præripit, ne in fos-

sam incidat, et totum se commaculet. Quam igitur deplorandus est, qui saltum facturus ad æternitatem tam periculosum, de illo non præcogitat, nec ea sibi adjumenta parat, quibus secure saliat?

II. Quod divinum numen tam parum colatur et ametur; et terrena potius quam cœlestia quærantur. Scimus certe primum et maximum præceptum esse, a Christo nobis serio inculcatum *Diliges Dominum Deum tuam ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, etc.* Scimus etiam, quanto amore dignus ac quam amabilis sit Deus, creator, redemptor et pater noster. Nihilominus tamen quam pauci reperiuntur, qui hoc amore calleant? Quando Deus voluit extra se effundere bonitatem suam, annon par est, ut omnes eum colant, et toti in laudes ejus convertantur? Et quidem res inanimes semper id præstant: *Cæli enarrant gloriam Dei, etc.* angeli perpetuo Deum laudant: *Sanctus, sanctus, sanctus, etc.* soli homines restant, quorum alii Deum suum non agnoscunt; alii agnoscunt, sed non glorificant; alii confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc ergo Jacoponus ex nobili Tudertino, voluntarie pauperrimus et Franciscanus sæpius hoc deplorabat, et rogatus aliquando a fratre, quid adeo lacrymaretur, respondit, id propterea se facere: *Quod amor (Deus) non amaretur*, Matth. Rad. II. p. virid. ss. c. III. Jam si Deum super omnia diligeremus, certe ante omnia ad cultum et honorem ejus attenderemus, et ad cœlestia toto corde aspiraremus. Nunc autem de honorum Dei parum solliciti sumus: *Omnes, quæ sua sunt quærunt: non quæ Jesu Christi*, ait apost. Deinde cœlestia a paucis desiderantur; ad præsentia omnes spectant, et quomodo vitam suam valent commodis terrenis, et in terra thesaurizant: ita ut quoad hoc parum aut nihil distare ab hæreticis et gentilibus videmur, qui temporaliæ tantum curant et quærunt. Quantum laboris curæ, temporis, et sumptuum alii impendunt corpori? Alii honoribus et favoribus aucupantur? Alii scientiis et artibus parandis? Et hæc omnia tamen fluxa et inania sunt. Solida interim bona, virtutes et Dei gratia, charitas, humilitas, castitas, temperantia negliguntur, et veluti a pueris æstimantur nuges et poma quam aurum et gemmæ. Quæ hominum cæcitas annon deploranda est? Cæcus ille a Christo illuminatus apud Marc. c. VIII. interrogatus, an aliquid videret, respondit: *Video homines sicut arbores ambulantes*. Quid sibi vult hæc vox? Homo *arbor inversa* dictus est a philosophis, quia caput arboris, quo alimentum sumit, in terra est et infimum, in hominibus vero in aere supremum; pedes vero

hominis terram spectant. Jam ergo qui ejusmodi illuminatos haberet oculos, quemadmodum iste cæcus a Christo illuminatus, et urbem hanc inspiceret, id ipsum credo diceret. Plerique enim homines pedes ad cælum convertunt, et caput in terram defixum gerunt, quia cœlestium bonorum oblii, solum de possessionibus amplificandis, pecuniis cumulandis, de commoditatibus parandis, de agris ad agros, de dignitatibus ad dignitates, de conviviis ad convivia cogitant: *O curæ in terra animæ et cœlestium inanes?*

III. Quod divinum numen perpetuo offendatur, et contumelias afficiatur a peccatoribus, cui interim sibi ipsis multo gravius nocent, cum tamen omnes quotidie oremus: *Sanctificetur nomen tuum*. Hoc deplorat Oseas, c. IV. *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium invidaverunt, et sanguis sanguinem tetigit*: hoc David, Psal. CXVIII. *Vidi prævaricantes et tabescebam*: hoc apost. Paulus ad Philip. III. *Multi ambulat, inquit, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, etc.* Circumferamus oculos, et videbimus passim, et palam homines ebrios oberrare per compita et in tabernis: passim homines lucri causa mentiri et pejerare, blasphemare et execrari, et quidem ita libere et absque verecundia, quasi hæc pulchra forent. Quemadmodum enim apud Myconios non est indecorum calvitium, quod illic omnes calvi nascuntur, teste Plinio, l. XI. c. XXXVII. et apud Biusgogios struma, quod illic omnes sint strumatosi, (imo indecorum putatur, si quis struma careat) ita apud multos indecorum non reputatur, jurare et blasphemare, inebriari et decipere, etc. et potius ridetur, qui hæc talia vitat, et pro peccatis habet. Quid dicam de intolerandis abusibus, et sacrorum profanationibus, qui passim irrepserunt? Quid sunt nunc dedicationes templorum, nisi ludorum et ebrietatum illecebræ et plenissima libertas? Quid patrocinia sanctorum, nisi emporia et nundinæ? Quid nuptialia convivia, nisi commensationes multarum horarum, et ingurgitationes bestiales, mixtæ insanis clamoribus et rixis? Qualia nostra jejunia?

Quid dicam de præceptis Ecclesiæ reliquis? Quam facile aliqui negligunt sacrum? Frangunt jejunium? Et interim tamen graviter vulnerant animas suas. Quis, quæso, non lamentaretur, si videret aliquot homines in eodem circo sibi varias tormentorum et suppliciorum clades inserentes, si alius cultro scinderet corpus suum alter se jugularet, alius se præcipitaret, alius submergeret, etc. (cujusmodi clades nuper visa

## IV. PARS ÆSTIVALIS.

est Magdeburgi, ubi cives desperati una secum liberos in incendium rapuerunt, in Albim flumen, et puteos insiluerunt, ex alto se præcipitarunt, etc.) nonne eorum cæcitatem deploraremus? At hoc faciunt peccatores, dum variis criminibus animas suas misere conficiunt.

IV. Quod a majorum nostrorum pietate et religione tam longe discesserimus. Mathathias ejusque filii cum viderunt, quomodo gentes profanassent templum Domini: *Sciderunt vestimenta sua, et operuerunt se ciliciis et planxerunt valde*, I. Macch. II. Videmus etiam nos passim per Germaniam templa ab hæreticis vel destructa vel profanata, sancta omnia conculcata, avitam majorum nostrorum religionem, fidem, sinceritatem prostratam. Ac licet aliquibus locis pristina fides et catholica religio reflouescere incipiat, omnia tamen illic sapiunt Lutheranismum et Calvinismum, omnia languent et priori Ecclesiæ statui minime respondent. Libro I. Esdræ, c. III. narratur filios Israel quando post reversionem ex captivitate Babylonica templum reedificarent, maximopere lætatos esse, seniores vero et principes patrum, qui scilicet viderant templum prius, flevisse voce magna. Causam ait Lyranus fuisse, quod hi dum recordarentur magnificentiæ et splendoris, qui in primo templo fuerat, secundum illud quasi nihil esse respectu illius censebant ac propterea flebant. Hunc in modum prorsus lætamur etiam nos, dum cernimus et audimus passim reparari in patria nostra antiquam fidem et religionem in iis locis, quos hæreticorum perfidia vastavit: sed si adessent antiqui illi Germani, qui vixerunt tempore illo, quo floruit virtus et religio undique catholica, illi potius flerent, siquidem reformatio religionis, quæ passim fit et facta est, nequaquam pertingit ad splendorem illum Ecclesiæ, quem in antiquis habuit sæculis. Omnia adhuc frigent, omnia coacte et pœnarum metu fiunt. Nullius fervor in sacramentorum usu, in frequentando templo, in publicis processionibus, in mortis armatura et suffragiis defunctorum procurandis: discedunt multi inermes ad terrificum Dei tribunal, deseruntur in altera vita detenti purgatorio, etc. denique, universim charitas ita obrigit in hæresi, ut jam nullis artibus resolvi posse videatur. M. Aurelius imperator dicebat se muros Romæ in triennio reedificasse collapsos, nunquam autem potuisse se reformare vel unicum plateam ad vitam virtuosam. Hoc vel simillimum quid dicere nunc cogimur. Primi enim Germaniæ apostoli intra paucos annos totam Germaniam a paganismo ad fidem perduxerunt, nos intra multos annos vix unam alteramve urbem, quæ